



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.


**Parisiis, 1644**

IV. De rebus ecclesiae non alienandis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

VRBANVS PALENTINVM. VVENCESLAVS IMP.  
P. VI. IOANNES I. R. CASTELLÆ. 169

ANNO  
CHRISTI  
1588. sacerdibus iudicibus personaliter, aut etiam pecuniâliter condemnari, & nonnulli ex prædictis clericis coniugatis, ut fide dignorum relatione perceperimus, tonsuram aut vestes deferant honestati ordinis clericalis minime congruentes. Ideo statuimus quod clericus coniugatus, qui gaudere voluerit priuilegio supradicto, tonsuram seu clericam quantitatis inferius descriptæ deferat, vel maiorem, & vestem superiorem non virgatam aut bipartitam, quæ tamen usque ad medietatem tibiæ vel ultra in longitudine protendatur. Tonsuræ autem formam ad omne ambiguitatis tollendum dubium hic fecimus circumscribi, quam in eadem mensura per singulos prælatos seu eorum vicarios vel officiales iubemus imprimi loco utique publico & patenti, in valuis ecclesiarum cathedralium & aliarum maiorum ecclesiarum locorum insignium diccesum earumdem.



#### R VBRICA IV.

Execrandæ alienationis abusum, quo prælati & aliæ personæ ecclesiasticæ maxime in regnis & terris regi Castellæ subiectis existentes, administratio-

Concil. Tom. 29.

Y

nem ecclesiarum & rerum ecclesiasticarum habentes, loca, vassallos , grangias & alias possessiones, decimas, primitias, redditus, prouentus, & iura, & bona alia ad ecclesias, ordines, monasteria seu alia pia loca quibus præsunt , spectantia, personis sacerularibus sub colore & titulo commendæ , vt per eosdem ab aliorum oppressionibus defendantur, vel aliis confictis causis propria auætoritate subiiciunt , & tributaria reddunt in perpetuum vel ad tempus, cum sit in Dei offensam, & ecclesiarum , ordinum, monasteriorum & locorum prædictorum graue damnum introductum , ac sacris Canonibus inimicum, abhorrentes & merito reprobantes , vniuersos archiepiscopos, episcopos , clericos , abbates , priores, magistros ordinum militarium, præceptores, commendatores, & quoscumque ecclesiarum & rerum ecclesiasticarum administratores, maxime in regnis & terris præscriptis existentes, cuiuscumque status, gradus , ordinis vel conditionis existant , sub excommunicationis poena monemus & hortamur, vt constitutiones in Lugdunensi & Viennensi Conciliis super hoc editas in commendis iam factis de rebus supradictis perspicue attendant & diligenter obseruent : quas commendas super interminatione anathematis de cetero fieri prohibemus. Nos enim, si secus aëtum seu attentatum fuerit; id decernimus irritum & inane.

R V B R I C A V.

Etsi Christiana religio Iudæos & Sarracenos ex eo non debeat abiicere , quia nostri conditoris imaginem constat eos habere : quia tamen ex